



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 117. Anglici Senatus statuta pro præpediendis conjurationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C 1584. terposita juramenti Religione sibi spondissent.

Post hæc cum Parrius rursus ad carcerem deduceretur, die quarta Februarii datis ad Reginam literis eandem rogabat, ut cum ipso clementer agere vellet, præterea sui criminis atrocitatem falsus Reginam obsecrabat, ut Scotiæ Reginam mitius haberet, ac sollicitè illius vitam sartam servaret: insuper ad suos Judices perscribens rursus audiri efflagitabat: cum igitur, uti petierat, denuo interrogaretur, eidem confictæ Comensis Cardinalis literæ exhibentur, quas ipse tanquam veras agnovisse dicitur: porro postea denuo conjurationis crimen fatebatur, constanter autem pernegabat, quod vel unquam in Reginæ vitam insidias struere attentasset: verum hæc declaratio eo minus sincera videbatur, quo paulo ante manifestius id falsus fuisset, testesque, qui eum accusabant, eundem de hoc quoque crimine infimulassent: quapropter tanquam læsæ Majestatis reus morti adjudicabatur, quæ etiam sententia die secunda Martii effectui data est.

§. CXVII.

*Anglici Senatus statuta pro præpedi-  
endis Conjurationibus.*

Ex



Ex hac conjuratione Anglicus Senatus ansam arripiebat, ut provida sollicitudine Reginae suae, ejusque vitae securitati, necnon Regni tranquillitati prospiceret, quam in rem viginti quatuor nominabat Deputatos, ut causas dijudicarent illorum, qui quamdam rebellionem excitarent, vel vitae Reginae insidiarentur, aut quoddam jus in Angliae sceptrum sibi arrogarent: praeterea aliud promulgabatur statutum, vi cuius omnes Sacerdotes Catholici intra quatuor dierum spatium e Regno exulare jubebantur, illi vero, qui evoluta hoc tempore adhucdum ibidem morarentur, proditionis rei declarabantur, omnesque, qui hosce Sacerdotes vel hospitio reciperent, aut eos occultarent, crimen feloniae incurrisse censentur: adhuc ibidem declaratum est, quod illi, qui in exteris Seminariis agunt, nisi intra semestre in Angliam redierint, & eorum Episcopo, vel pacis Judice submissionis suae obsequia non praestiterint, pariter tanquam de proditionis crimine convicti haberentur, qui vero vel per se, vel per alios ad hosce Scholares, aut alios in istis Seminariis degentes quocunque sub obtentu pecunias submiserint, perpetuo exilio, omniumque bonorum proscriptione mulctarentur: omnes autem

Saecul. XVI.  
A.C. 1584.

Cambden.  
l. c.



Sæcul XVI.

A.C. 1584.

tem, quibus quempiam Papistarum Sacerdotem, vel Jesuitam in Regno delitescere innotuerit, huncque intra quadriduum non manifestaverint, in vincula conjicerentur, ac multa pecuniaria plecterentur, cui etiam pœnæ subjiciantur illi, qui in suspicionem tracti, quod Sacerdotes, vel Jesuitæ sint, sese examini subjicere recusaverint. Denique indictis gravissimis pœnis inhibebatur, ne aliis, quam Mercatoribus absque speciali Reginæ permissu per mare navigandi copia daretur.

## §. CXVIII.

*Andreas Battorius a Papa in Cardinalem nominatus.*

*Ciac. in vit.  
Pontif. t. 4.  
p. 105.*

Hoc item anno Andreas Battorius Stephani Battorii, Poloniæ Regis, Nepos qui apud Pontificem Romæ Orator erat, a Gregorio XIII. purpura decorabatur, ac nominabatur Cardinalis Diaconus titulo sancti Andreæ.

## §. CXIX.

*Aloysii Cornelii Cardinalis obitus.*

*Ciac. p. 782.  
Justin. Es  
Bembo hist.  
Venet.*

Priusquam Andreas Cardinalium Collegio adscriberetur, paulo ante Aloysius Cornelius patria Venetus Cardinalis naturæ debitum solverat. Erat is Mense Februario Anno Christi millesimo quingentesimo decimo sexto natus, qui